UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodvs Expeditæ Commvnionis Tum pro Sacerdotibus, tum pro omnibus fidelibus communicaturis

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1657

An Sacerdos possit communicaturo ministrare partem suæ hostiæ, §. 6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41783

Visual Library

§. 6.

An Sacerdos poſsit communicaturo miniſtrare partem ſuæ hoſtiæ.

30 PVto id aliquando fieri convenientiſsimè poſſe. a Ratio optima ducenda eſt ex ipſo Chriſti inſtituentis b exemplo, qui fregit panem, & dedit. Cum igitur nihil in hoc Eccleſia expreſsè prohibuerit; ſi adſit cauſa rationabilis non eſt cur à nobis damnetur. Non nego, ſi adſint aliæ particulæ conſecratæ, decentius particulam porrigi, cum ita ferat conſuetudo: ſed ſolum, illud non eſſe inconveniens, ex ipſa Chriſti primaria inſtitutione, doceo.

a *Sà V. Euch. n. 15 Jo. Sanch. in ſel. d 22 n. 21. Henriq. Sylv Granad. cit. à Dian p. 5. tr. 3. reſ. 14.*

b *De Lug. de Euch d. 20. ſec. 2. n 69.*

Neque obſtat conſuetudo in contrarium: tum quia ego cum eſſem junior, vidi Sacerdotes id facientes, ſine umbra, ut tunc

mihi videbatur, ſcrupuli: tum quia, etiamſi alicubi ſit, non conſtat an habeat vim prohibitionis, cum non conſtet, an ejuſmodi conſuetudo obſervetur, ut neceſſaria, & obligans (id quod conſtare debet *c* ad hoc ut conſuetudo habeat vim legis) an vero tantum ut quid decentius, ſeu, ut caſtigatius loquar, ut quid expeditius: fatemur enim, quod per formulas minores, quæ ſint in promptu, facilius expediantur fidelium laicorum communiones, quam per partem hoſtiæ Sacerdotis.

c Hurt. de Euch d. 2 diff. 9. loquens de conſuetud. conſecrādi in miſſa.

31 Objicies. At in Miſſali Romano de defectibus Miſſæ jubetur, quod ſi Sacerdos poſt conſecratam hoſtiam incidat in morbum, debeat ab alio Sacerdote finiri miſſa, & communicari infirmus Sacerdos, parte ipſius hoſtiæ conſecratæ, quamvis, ſi ſit alia formula conſecrata, hæc potius infirmo porrigenda ſit: Hæc

ibi:

ibi: Ecce requiritur ſumma neceſsitas: nam ſolum conceditur, infirmo Sacerdoti, deficientibus aliis formulis. Reſpondeo hanc Rubricam eſſe benè intelligendam: nam tota intentio Eccleſiæ, in hoc eventu eſt, ut infirmus Sacerdos participet de Sacrificio à ſe inchoato. Vnde Gavantus in hanc Rubricam, ibi (Dividat hoſtiam) ſic habet. d Ita convenit, quia partem habuit ille prior in conſecratione.

d *Gavant. in Rubr. miſſal. p. 3. tit. 10. n. 3 lit.* a.

Ergo etiam in ſumptione. Hæc Gavantus. Et ſane id videtur ſtatutum in C. Relatum 11. de conſecr. diſt. 2. ibi. Nam quale erit illud Sacrificium, cui nec ipſe Sacrificans particeps eſſe cognoſcatur? Hoc poſito, ſic te debes ritè hac in re gerere. Si adſint in altari particulæ conſecratæ, ſimul cum hoſtia grandiore, conſecratæ, inquam, ab ipſo Sacerdote infirmo (de quo caſu ſolum loquitur Miſſale) poteſt dari

ipſi, vel pars hoſtiæ grandioris, vel melius) hoc eſt expeditius) una ex dictis particulis. At ſi non adſint particulæ conſecratæ ab ipſo infirmo Sacerdote, ſed fortè ab alio ſervatæ in ſacrario; certè non danda eſt una ex illis particulis, ſed pars hoſtiæ grandioris: ut nimirum ſic Sacerdos infirmus participet de ſuo ſacrificio. Et de hoc caſu non expreſsè hic loquitur Miſſale, cùm ſatis ipſi fuerit invenire intentionem Eccleſiæ eſſe: ut Sacerdos, quantum fieri poteſt, de ſuo Sacrificio, ut dictum eſt, participet.

32 Atque ex his patet reſponſio ad objectionem: non enim abſolute prohibetur, ſed ſolum ut quid decentius notatur, quando adſunt aliæ formulæ ab infirmo conſecratæ, illas, & non partem grandioris hoſtiæ Sacerdoti, multo etiam magis laico communicaturo diſtribui: id

quod

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quod contra traditam à nobis doctrinam, non eſt.

§. 7.

An tempore Interdicti generalis miniſtrari communio poſſit?

33 POteſt ſolum pro Viatico *a* ſive infirmis, ſive morte puniendis: quia caſus neceſſitatis exceptus eſt: ut etiam excipitur confeſſio. Immo confeſſio, propter majorem ejus neceſſitatem, ſemper, *b* nec ſolum inſtante morte, excipitur: modo, ſiquis dederit, cauſſam Interdicto, ut etiam & ille, qui eſſet ſpecialiter interdictus, ſatisfaciat, vel det ſufficientem cautionem, *c* pignoratitiam, fidejuſſoriam, vel ſi talem non poſſit, juratoriam, ante abſolutionem. Quod ſi non ſatisfecit, propter inadvertentiam, vel

a *Suar de Cenſ d. 33 ſec. 1. n. 27 aliique paſſim.*
b *Iidem.*
c *Laym l. 1. tr. 5 p. 4 c. 2. n. 1.*